



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

Epistola secunda ad literam ipsusmet R. P. Dianæ missa ad V. P. D.
Martinum de Alcolea Monachum, &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

natus præscripto. Hoc unum desideratur. Hic à Patre D. Martino de Alcolea Monacho Carthusiano datur, & is qui publicæ spectationi faciat satis, & studiosis facem præferat: ut quæ inventi Author labore, & studio, studiosus, prout habet opus, ordinatè requirat, facile conveniat. Est enim thesaurus emeris. Et scientia abscondita quæ utilitas matris, quæ? Ergo lucem, lucem digestam accipiant, ut sit publica utilitas, matrisque. Hic meus sensus in Collegio Imperiali Societatis Jesu Mattitenfi die 4. Septembris 1658.

AVGVSTINVS DE CASTRO.

Censura R. P. F. Acatij March. de Velasco Magistri sacri Ordinis Prædicatorum, Academia Valentinae Cathedralis, utriusque facultatis Censoris, & Examinatoris Synodalis, in Provincia Aragonia olim Vicarij Generalis, & bis in Conventu Prædicatorum Prioris.

MULTOS in multis ad justiciam eruditiv gravissimus Antoninus Diana, fulgens quasi splendor firmamenti, cujus ferè innumerabiles casuum conscientia Resolutiones, Catholicorum censura approbatas, peculiari ordine & compendio pervias omnibus fecere aliqui. Modò admodum Reverendus Pater D. Martinus de Alcolea, si non cœlitus, certè à Carthusia Portæ-Cœli nobis mittit easdem Resolutiones non summatim, sed fusè sicut scripsit Author, at pulchriori ordine ac utiliori, quo quælibet difficultatis Resolutio ad manum statim sese offerat. *Omne vultu punctum qui miscuit utile dulci.* Utilitatem certè doctrinæ Dianæ dulcem nobis reddidit noster Pater Alcolea suo summo labore & industria eam digerendo, & unamquamque resolutionem in proprio suo loco collocando. Omnibus notum est sacratissimam Carthusianorum solitudinem similibus doctrinæ radiis assuetam esse mundum illuminare. Dignum censo, ut hoc opus communi detur utilitati. In Prædicatorum Valentino Conventu 3. Octobris ann. Domin. 1666.

Magister Fr. ACATIVS March. de Velasco.

Inter alia quæ ipsemet R. P. D. Antoninus Diana Patri Martino de Alcolea scripsit, hæc est illius prima clausula & S.

RECIPIO humanissimam literam tuam ad me missam ab Excellentissimo Domino meo Principe Paternionis, & tibi debitas rependo gratias propter laborem, quem suscipere dignatus es circa opera mea typis impressa. Erit enim opus nimis plausibile, & ab omnibus vultibus expansis recipiendum, ne dicam amplius, quia laudando te, videor laudare me ipsum. Et ideo ubique terrarum cum Alcolea audietur & Diana, & cum Diana Alcolea, &c. Prosequitur idem Diana in eadem epistola dicens: Rogo ut ad me mittas Frontispitium libri, & Epistolam ad Lectorem. Gaudeo, &c.

Concordat cum suo Originali.

Fr. JOSEPH COLUMNNA, Prior Portæ-Cœli.

Epistola secunda ad literam ipsiusmet R. P. Dianæ missarad V. P. D. Martinum de Alcolea Monachum, &c.

MENSIBUS elapsis recepi Epistolam tuam cum Frontispicio operis, Epistola ad Lectorem, & quibusdam foliis egregie dispositis, & ad illam statim respondi: sed temporum malitiâ, ut agnosco per aliam litteram tuam hoc mensis Februario receptam, ad te non pervenit. Gaudeo quòd bene vales, & spero ad multos annos.

Pars mea 12. est jam impressa Romæ, & statim iterum Venetiis, & ut mihi asserunt, nunc etiam erit impressa Lugduni: unde spero quòd quam citius erit in tuis manibus. Continet tractatum satis longum de consecratione Episcoporum: alium de Collocationibus, & Scriptionibus prohibitis tempore Conclavis; & aliquas quæstiones Miscellaneas. Si ita placuerit A. R. P. tuæ Frontispitium tui operis sic erit: Diana coordinatus, seu omnes Resolutiones Morales A. R. P. D. Antonini Diana Panormitani, Clerici Regularis, Doctoris celeberrimi, ipsissimis verbis ad propria loca & materias fideliter dispositæ, ac distributæ. Opera noviter concinnata, & titulis novis, ac notis marginalibus clara luce, clariori dispositione illustrata, & in novem Tomos digesta per A. R. P. D. Martinum de Alcolea Monachum ex Regali & inclita Carthusia de Paulari, &c. Restat modò ut quàm citius opus tuum egregium typis mandetur. Et ita Doctissimus Pater Martinus Alcolea simul cum suo Diana orbem peragrat. Et ut si fieri potest, antequam moriar, oculis meis videam tuam impressionem. Vale vir doctissime, & te plurimum amantem redama, ac Deum pro me ora, Romæ die 24. Febr. 1659.

Additissimus in Christo tuus

ANTONINVS DIANA, Clericus Regularis.

Ex